De Enunciatione.

Caput I. De Nomine, Verbo & Oratione.

INTERPRETATIO eſt vel

- *Simplex*, *in* Orationis elementis, quæ ſunt
  - NOMEN, de quo 2. not.
    - *I. Quid ſit?* Ὄνομά ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. *Ariſt. I. de Interpr. cap.* 2. NOMEN eſt vox finita & recta ſignificans ex inſtituto tempore, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim: *ut homo candor, &c.* Significare ſine tempore eſt præter principale ſignificatum nullam primariam temporis differentiam denotare. Primariæ autem temporis differentiæ ſunt tres: præteritum, præſens & futurum.)
    - *II. Quotuplex eſt?* R. Nomen eſt
      - 1. vel
        - *Finitum*, quod ſine propoſita particula Non effertur & rem definitam ſeu certam ſignificat: *ut homo.*
        - *Infinitum*, cui præfigitur particula negativa Non: *ut non homo*,
      - 2. vel
        - *Rectum*, quod nominativo caſu effertur,
        - *Obliquum*, quod reliquis caſibus exprimitur.
  - VERBUM, de quo 2. not.
    - *1. Quid ſit?* R. Ῥῆμά ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον. *l. de Interpr. cap.* 3 VERBUM eſt, quod adſignificat tempus, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, & eſt ſemper nota eorum, quæ de altero dicuntur: *ut currit.*
    - *2. Quotuplex ſit?* R. Verbũ eſt
      - 1. vel
        - *Finitum*, de quo idem judicandum, ac de nomine finito.
        - *Infinitum*: ut non valet. non currit.
      - 2. vel
        - *Rectum*, quod eſt præſentis temporis & indicativi modi.
        - *Obliquum*, quod eſt reliquorum temporum & modorum.
- *Compoſita*, quæ eſt ORATIO, de qua not.
  - *1. Quid ſit?* R. Λόγος ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, ὡς φάσις ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις. *l. de interpr. c.* 4. ORATIO eſt vox ſignificans, cujus aliqua pars ſignificat ſeparatim, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio: *ut homo ſtudet.*
  - *2. Quotuplex ſit?* R. Oratio eſt vel
    - *Imperfecta*, quæ non gignit perfectum ſenſum in animo audientis: *ut homo albus.*
    - *Perfecta*, quæ eſt vel
      - *Non Enunciativa*, in qua nec eſt verum nec falſum: *ut ſunt orationes interrogativæ, vocativæ, imperativæ, deprecativæ & optativæ.*
      - *Enuntiativa* ſeu ENUNCIATIO. *cap.* 2.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334551749/20
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG